



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Quæst. I. An opera præscripta debeant esse libera?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

S E C T I O III.

D E EXECUTIONE OPERUM
PRÆSCRIPTORUM.

Q UÆST. I. *An opera præscripta debeant esse libera?*

Seu, *An ad consequendum Jubilæum, aut aliam Indulgentiam, necesse sit exequi opera præscripta quidem, sed quæ aliunde non sint debita y. g. ex præcepto Ecclesiæ, voto, aut pœnitentiâ?*

RESP. Negativè, cum Corduba, Benzonio, Layman. c. 8. n. 13. Card. de Lugo *disp. 27. n. 110. & aliis passim.* Constat ex praxi, siquidem videmus, jejunia Jubilæorum sæpè celebrari in ipsâ Urbe Româ, & extra Romam, in Quadragesimâ, vel quatuor Temporibus.

Hinc quædam corollaria practica colliges cum Gobato *tr. De Indulgentiis n. 174. & seqq.*

I. Qui ex pœnitentiâ à Confessario Injunctâ, aut ratione suæ Regulæ, vel
voti,

voti, jejunat, communicat, &c. consequitur Jubilæum, seu aliam Indulgentiam exigentem jejunia, communionem, &c.

II. Canonici, qui ex obligatione Chorum frequentant, consequuntur Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, esto non maneant diutius in templo, quàm exigat eorum obligatio. Idem dic de faciente sacrum ex obligatione.

III. Clerici, dum suas Horas Canonicas legentes, dicunt ex ritu Breviarii, *Pater, Ave, Credo, Te Deum laudamus, Psalmum Miserere, aut De profundis, &c.* non minùs consequuntur Indulgentias, quæ, nomine alicujus Congregationis, seu Confraternitatis, aut ratione Numismatis S. Caroli, Quinque Sanctorum, &c. conceduntur recitantibus unum ex enumeratis, quàm si seorsim, & extra Officium Canonicum, orassent. Et ita de aliis.

Q. 2. *Utrùm omnia opera prescripta debeant perfici in statu gratiæ?*

C 3

Affir-